

1607
*Joannes
 Bemus in
 patriam
 redit.*

classis imperator Epiri oris adnavigans, Ioniumque percurrens, cum omnia tuta subjectis Reipublicæ reddidisset, in gravefcente autumnno, Hispanis ac Turcis in hiberna concedentibus, in patriam revertitur; Cretensibusque trierarchis, quod egregiam operam Reipublicæ præstitissent, quodque præclarum in eam studium patefecissent, gratiæ a Senatu actæ.

*Rudolphus
 Cæsar ad
 bellum con-
 tra Turcas
 propensus.*

Compositis, uti diximus, Italiæ rebus, omnes in Pannoniam ac Belgium intenti, quisnam earum rerum exitus futurus esset, circumspiciabant. Nam, licet Matthias, Cæsaris frater, ad pacem cum Achomate firmandam vehementer inclinaret; attamen ut acta probaret, iisque subscriberet, Cæsar ipse adduci non poterat; vel quod, si armis exueretur, haud parum de sua dignitate imminutum existimaret; vel quod Achomatem bello Persico distentum, nuper Ferratem e Pannonia evocatum, cum magnis copiis in Persidem designatum, intelligeret; vel quod, amotis inter Pontificem ac Venetos diffidiis, se a Principibus auxilia accepturum speraret. Igitur Christophorum Tarphelium, legatum designatum, Byzantium proficisci prohibebat; a Pontifice ac Principibus reliquis opem flagitabat; per Stolendorfium a Superantio legato Reipublicæ subsidia petebat; de conventu Germaniæ procerum Ratisbonæ indicendo consilia inibat; & quo sibi ad ea, quæ animo volutabat, iter patefaceret, Pannoniæ ac Bohemiæ concilia vocaverat. Verum inclinatis ad pacem populorum animis, non modo secus quam opinabatur, duriora cuncta invenit, sed valde ab armis tractandis cunctos averfos offendit; cum materiam, qua in se Turcarum arma elicerent, præbere se nolle affirmarent; itaque de pace negotium mora & cunctatione trahebatur. In Belgio pari quoque evento de concordia inter Hispanos ac Batavos ineunda agebatur. Licet enim belli diuturnitate utrimque fessi propendere in pacem viderentur; tamen his Galliæ atque Angliæ auxiliorum subnixis, illis vero ab Ordinum postulatis averfis, cuncta innumeris difficultatibus obsidebantur, ut eo anno nihil conficeretur.

*Spalatenfes
 pestilentia
 vexati.*

In Spalatenfes hoc anno pestifera lues adeo sæviit, ut magnam incolarum partem absumpserit. Ingentis illius cladis portenta apparuisse plerique testabantur; subterraneas horribiles